



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XVI. Quòd necessitates nostras Christo aperire, & ejus gratiam postulare debemus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

consolationem, sed super omnem devotionem & consolationem, ad Dei gloriam & honorem.

CAPUT XVI.

*Quòd necessitates nostras Christo aperire, & ejus gratiam postulare debemus.*

VOX DISCIPULI.

I. **O** Dulcissime atque amantissime Domine, quem nunc devotè desidero suscipere, tu scis infirmitatem meam, & necessitatem, quam patior: in quantis malis & vitiis jaceo; quàm sæpè sum gravatus, tentatus, turbatus & inquinatus.

Pro remedio ad te venio, pro consolatione & sublevamine te deprecor.

Ad omnia scientem loquor, cui manifesta sunt omnia interiora mea, & qui solus potes me perfectè consolari, & adjuvare.

Tu scis, quibus bonis indigeo præ omnibus, & quàm pauper sum in virtutibus.

2. Ecce

2. Ecce sto ante te pauper & nudus, gratiam postulans, & misericordiam implorans.

Reſice eſurientem mendicum tuum, accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumina cæcitatem meam claritate præſentiæ tuæ.

Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia gravia & contraria in patientiam; omnia infima & creata in contemptum & oblivionem.

Erige cor meum ad te in cœlum, & ne dimittas me vagari ſuper terram.

Tu ſolus mihi ex hoc jam dulcefcas uſque in ſæculum; quia tu ſolus cibus & potus meus, amor meus & gaudium meum, dulcedo mea & totum bonum meum.

3. Utinam me totaliter ex tua præſentia accendas, comburas, & in te transmutes; ut unus tecum efficiar ſpiritus, per gratiam internæ unionis, & liquefactionem ardentis amoris!

Ne patiaris me jejunum & aridum  
à te

à te recedere, sed operare mecum misericorditer, sicut sæpiùs operatus es cum Sanctis tuis mirabiliter.

Quid mirum, si totus ex te ignescerem, & in me ipso deficerem, cum tu sis ignis semper ardens, & nunquam deficiens; amor corda purificans, & intellectum illuminans?

### C A P U T XVII.

*De ardenti amore, & vehementi affectu suscipiendi Christum.*

#### VOX DISCIPULI.

I. **C**UM summa devotione & ardenti amore, cum toto cordis affectu & fervore desidero te Domine suscipere, quemadmodum multi Sancti, & devotæ personæ, in communicando te desideraverunt, qui tibi maximè in sanctitate vitæ placuerunt, & in ardentissimâ devotione fuerunt.

O Deus meus, amor æternus, totum bonum meum, felicitas interminabilis, cupio te suscipere cum vehementissimo desiderio, & dignissimâ reverentia, quam aliquis Sanctorum